EDITOR

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

Ut ea, quæ ad illuſtrandam ævi noſtri hiſtoriam faciunt recto ſe excipiant ordine, Carolino & Rudolphino Codici, quorum utrumque Cajetanus Cennus e Vindobonenſi Bibliotheca Palatina elatum, decennio abhinc Romæ in lucem dedit, Rudolphi II. Imperatoris, & Cæſaris Auguſti epiſtolas eodem e fonte ſubjungere viſum eſt.

Joannes Barvitius, Rudolpho II. ab epiſtolis, auctor earum eſt. Has, cum negotia publica, quæ inter annum MDLXXXI. & MDXCV. interceſſerunt, mira rerum varietate complectantur, erudito orbi perinde jucundas, utilesque fore arbitror; operæ pretium me laturum exiſtimabo, ſi meum res noſtri temporis illuſtrandi ſtudium plurimis probari intellexero.